

somni metu deposito, gravidam ad se filiam arcessit, ut sub avi^{potissimum} oculis partus necaretur. Natus infans datu occidendus Harpago, regis arcanorum participi. Is veritus, si ad filiam mortuo rege venisset imperium, quia nullum Astyages virilis sexus genuerat, ne illa necati infantis ultionem, quam a patre non potuisset, a ministro exigeret; pastori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tempore et ipsi pastori filius natus erat. Ejus igitur uxor, audita regii infantis expositione, summis precibus rogat, sibi afferri ostendique puerum: cujus precibus fatigatus pastor, reversus in silvam, invenit juxta infantem canem feminam, parvulo ubera praebentem, et a feris alitibusque defendentem. Motus et ipse misericordia, qua motam etiam canem viderat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxie prosequente: quem ubi in manum mulier accepit, veluti ad notam puer allusit; tantusque in illo vigor, et dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit, ut pastorem uxor ultro rogaret (quo suum partum pro illo exponeret), permetteretque sibi, sive fortunae ipsius, sive spei suae puerum nutrire. Atque ita permutata sorte parvulorum, hic pro filio pastoris educatur: ille pro nepote regis exponitur. Nutrici Spaco postea nomen fuit, quia canem Persae sic vocant.

CYRI PUERITIA, ADOLESCENTIA ; ET HARPAGI AD CYRUM
ADMONITIO. (C. 5.)

Puer deinde cum inter pastores esset, Cyri nomen accepit. Mox rex inter ludentes sorte delectus, cum per lasciviam contumaces flagellis cecidisset, a parentibus puorum querela est regi delata, indignantibus, a servo regio ingenuos homines servilibus verberibus affectos. Ille arcessito puero et interrogato, cum, nihil mutato vultu, fecisse se ut regem respondisset; admiratus constantiam, in memoriam somnii responsique revocatur. Atque ita cum et vultus